

vero Constantinus Magnus super id extruxit magnificentissimum templum, Baron. anno 326. Quod ubi postea anno 1009. a principe Babylonis, Judæorum dolo et instigatione, solo æquatum esset, sævit mox vindicta Dei in Judæos, quando eos Christiani e finibus suis undique expulerunt et plurimos occiderunt, ut pauci in orbe reliqui fierent; eodemque anno templum id reparari cœptum majore decore, plurima ad hoc munera deferentibus Christianis ex universo orbe, Baron. ann. 1009. Quanti porro exercitus cruce signatorum abierunt relictis patriis sedibus, bonis, propinquis, ad recuperandum id sepulcrum? Quanta gloria Dei que præsentis manifesta ope id receperunt e Saracenorum manibus? Qua de re Wilhel. Tyrius, in historia belli sacri.

Tertio, cohonestatur etiam nunc singulis an-

nis per omnes Ecclesias, erectis ad memoriam et repræsentationem illius sepulcri, mausolæis, ad quæ Christiani in triduo mortis Domini suam exserunt devotionem et pietatem.

Quare et nos, auditores, veneremur, quantum possumus, sepulcrum nostri parentis et servatoris omnium communis. Si enim parentum illorum, qui vitam nobis contulerunt fragilem et multis miseriis refertam, sepulcra in memoria et veneratione habemus; quanto magis illius patris, qui vitam nobis beatam et æternam comparavit? Veteres amicorum sepulcris insculpserunt cordis figuram, Plut. teste l. de fun. ut hoc symbolo indicarent nequaquam se deposuisse memoriam illorum. Nos ergo sepulcro Christi nostrum imprimamus, assiduis et grata memoria illud recolentes: *Ubi enim est thesaurus noster, ibi sit et cor nostrum.*

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

FIGURE PASSIONIS, JOSEPH, JONAS, SERPENS ÆNEUS, SAMSON, BOTRUS, PASSER.

FIGURA PRIMA PASSIONIS DOMINI, JOSEPH.

I. Christus offert se ad patiendum patri. — II. Capitur et spoliatur vestibus. — III. Venditur. — IV. Latronem unum eligit, alterum reprobatur. — V. Resuscitatus fit rerum omnium Dominus.

#### THEMA.

*Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis.*  
Genes. XXXVII.

Sæpe quidem prædixit discipulis suis Christus suam passionem, in scripturis T. V. præfigurata, ut in dom. quinquagesimæ etiam audivimus: *Ecce ascendimus Jerosolymam, etc. Ipsi tamen nihil horum intellexerunt*; quia velum templi nondum scissum erat, sed adhuc oculos eorum velabat. Nunc autem ecce velum scissum. Ecce tibi Josephum, ecce Jonam, ecce serpentem æneum, ecce Samsonem, ecce botrum, ecce passerem immolatum in Christo declaratum. Quia tamen hac ipsæ figuræ multa in se mysteria continent, quæ necdum fidelibus omnibus patent, ea nunc explanabimus.

I. Joseph a patre sollicito de filiis suis, pecora pascentibus, ne forte a Sichimitis, per eos olim

offensus, aliquid paterentur adversi, missus est ad fratres, visum quid circa illos ageretur; qui mox: *Præsto sum*, inquit, miraque alacritate se offert; hæc nosset fratres sibi admodum infensos. Ita Dei Filius missus est a Patre ad homines, pecora, i. e. cupiditates suas pascentes, adeoque dæmonis insidiis undique expositos. Pater de peccatoribus sollicitus dicebat: *Quem mittam, et quis ibit nobis?* Mox se ad currendum obtulit Filius dicens: *Ecce ego, mitte me*, Isa. VI. Et hoc quamvis sciret se ab hominibus male excipiendum, adeoque crucifigendum. Neronis mater intellecto se, si filius ejus imperator fieret, ab eo occidendam: *Occidat, modo imperet*, inquit. Christus etiam præsevit se a Judæis crucifigendum, si ad eos mitteretur, non tamen hoc pensi habuit, quin pro salute nostra descenderet in terram.

II. Joseph a fratribus captus et exutus est veste sua polymita. Christus a Judæis captus, omni sua gloria, quam habuit in mundo apud homines, ob doctrinam, miracula, sanctitatem, est spoliatus, dum latronis iustarum comprehensus, ad tribunalia tractus homicidæ postpositus, et cum iniquis reputatus, inter latrones suspensus fuit. Qui enim prius appellabatur Christus, rex, propheta magnus, doctor veritatis Dei Filius; jam nec Christus, nec rex, nec propheta: sed malefactor ab eis compellatur et punitur. O speciose Joseph! Ubi vestis illa tua multicolor? Ecce in sanguine hirci intincta patri tuo demonstratur.

in forma foetentis malefactoris. Vide cœlestis Pater, an hæc tunica Filii tui sit, annon.

III. Joseph a suis fratribus venditus est. Primo, Juda instigante: ita Christus a Juda, uno de fratribus suis venditus est. Cur? Ut pateret Judæis Christi innocentia. Si quid enim mali unquam Christus egisset, id utique Judas, ei familiaris et conscius actorum Christi Judæis prodidisset. At nihil contra ipsum, sed bene pro ipso dixit: *Peccavi tradens sanguinem justum*. Secundo, ad incrementum doloris et passionis Domini: *Quoniam si inimicus meus persecutus me fuisset, sustinuissem utique. Tu vero homo unanimes, et dux meus, etc.* Ita Julius Cæsar maxime sensit, quod amicus ejus M. Brutus inter conjuratos in ipsum insurgeret: *Et tu quoque Marce fili!* Non ergo fidamus nimium, etiam domesticis et amicis. Tertio, venditus est Joseph Ismaelitis et Madianitis mercatoribus, ab his postea Putiphari in Ægypto: Christus impiis Judæis: ab his est Pilato gentili traditus. Quarto, viginti argenteis venditus est Joseph: Christus triginta. Cur vero carius? Quia hic Dominus, ille servus: hic vir, ille puer: hic ad crucem, ille ad servitutem tantum emptus. Quibus consideratis viliori pretio venditus est Christus, quam Josephus. Sed cur tam vilis? Ut discamus ab ipso humilitatem. Quis enim nostrum ita parvi aliquando aestimatus est? Deinde quia et nos vilissimo pretio sæpe eum vendimus. Sed cur vendi voluit? Primo, quia et nos in paradiso pro uno pomo vendidimus nos ipsos dæmoni in servitutem. Secundo, ut ostenderet nobis amorem suum, qui cum non haberet aurum et argentum, se ipsum dedit et vendidit ad nos redimendos. Cujus charitatem imitatus est S. Paulinus episcopus. Nolanus, cum jam opibus expoliatus, se ipsum viduæ donavit, vendendum in Africam pro redimendo ejus filius.

IV. Joseph a conjuge Putipharis falso accusatus, in carcerem innocens conclusus, duobus concaptivis somniantibus, prædicat uni, pincernæ scilicet restitutionem pristinae dignitatis: alteri, pistori, suspendium. Christus innocens inter latrones cruci affixus, promittit uni penitentem paradisi, alterum blasphemum relinquit ad penam; et in horum typo denuntiat gentili populo gratiam, Judaico damnationem. Joseph cum pincerna ad aulam regis assumitur: pistor ad crucem abripitur. Christus penitentem latronem in paradisi secum ducit, alterum impenitentem deserit, puniendum in inferno. Nemo ergo sibi blandiatur ex eo, quod religiosus, cum Christo crucifixus, aut Christianus sit catholicus, si enim Christum non colat et confi-

teatur, sed potius inhonoret, relinquetur ad gehennam.

V. Joseph e cisterna, in qua non erat aqua, et demum e carcere ereptus, fit in aula regis princeps et *Salvator mundi* appellatur. Ita verificatum Josephi somnium, adoratus est a fratribus, sol a stellis, manipulus stans a dejectis, vellent nolent fratres. Christus e sepulcro, in quo nemo prius sepultus erat, et e custodia illius, inter mortuos liber, ereptus, resuscitatus, et in cœlum assumptus fit rerum omnium Dominus, et *Salvator mundi* dicitur. Joseph princeps factus fratres suos, qui in ipsum deliquerant, benevolentissime recepit in gratiam, et insuper magnis donis affecit. Ita et Christus Dominus post suam in cœlum exaltationem recepit in gratiam Judæos penitentes, misso super eos Spiritu sancto, a quibus etiam postea velut eorum Deus adoratus est.

FIGURA SECUNDA PASSIONIS DOMINI, JONAS.

I. Mittitur in hunc mundum perversum, ut eum convertat. — II. Impetitur a Dei justitia, et committitur sortibus. — III. Offert se ad mortem. — IV. Ejicitur in mare dolorum. — V. In limbo patrum inter mortuos liber.

#### THEMA.

*Tulerunt Jonam, et miserunt in mare, et stetit mare a fervore suo.* Jon. I.

Illustris Christi passi et resuscitati figura fuit Jonas, ipso Christo teste, Matth. XII. *Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ, etc.* Magnum certe signum: sive nomen, sive acta ejus spectemus.

Nomen Christo non male convenit: sonat enim *columbam*; Christus autem in baptismo suo per columbam designatus fuit, et bene, quia ut inter aves columba mitissima et innocentissima est; quemadmodum agnus inter quadrupedes: ita Christus cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Jonas filius *Amathi*, i. e. *veritatis* fuit: Christus filius patris veracissimi, imo ipsa veritas, ob quam contestandam in hunc mundum venit.

I. Jonas a Deo missus fuit in Ninivem civitatem magnam, sed tam perversam, ut ejus iniquitas in cœlum ascendisse dicatur, ad eam convertendam; Christus a Patre in mundum perversum, peccatis refertissimum, Paulo ad Rom. I. teste. Sed Jonas inobediens fugit a Deo



præcepti ejus contemptor. Non ita quidem Christus, sed contra obedientissimus: peccatoris tamen rebellis et fugitivi speciem induit, vicesque subiit, adeo ut ab invidis pro peccatore haberetur, et cum iniquis deputaretur; quod subtili voce Lucas inquit, cum ait: *Ducebantur cum eo et alii duo nequam.* Quamquam tota fere Christi vita fuga fuit, nunc Herodis, nunc honorum, nunc Judæorum.

II. Jona in navi constituto turbatur mare, reboant venti, et Jonam ejectum volunt. Mittuntur ergo sortes in auctorem tempestatis, et cadit sors in Jonam; Christo in hoc mundo constituto, ira celestis eum velut ad penam et supplicia petit, ut unus ipse, velut omnium dignissimus moreretur pro populo, quia impossibile erat sanguine hircorum et taurorum auferri peccata. *Holocautomata pro peccato noluit, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce veniam, ut faciam, Deus voluntatem tuam,* Heb. X. Mittuntur ergo sortes inter ipsum et Barabbam, et cadunt in Christum. Tumentes maris fluctus sunt furiosi Judæi, clamantes: *Sanguis ejus super nos.*

III. Jonas ultro se offert ad ejectionem, ut quiescat mare: *Tollite me, et mittite me in mare.* Sed obsistunt gentiles nautæ et conantur remigare ad terram, ut eum exponant; nec tamen possunt, quia *mare ibat et intumescibat super eos.* Unde coacti Jonam ejicere innocentes protestantur: *Domine ne des super nos sanguinem innocentem,* Christus etiam ultro se obtulit ad mortem maxima charitate, sanctus pro impiis, innocens pro nocentibus. Hinc obviam it cohorti et ait: *Si me queritis, sinite hos abire,* peccatores scilicet omnes. Quanta est hæc charitas! Si obsessa civitate Abela, Seba, cujus caput petebatur, se hosti tradidisset, quid non ei debisset civitas? II. Reg. XX. Sed obsistunt aliqui, Judas, Pilatus variis modis, uxor ejus, volentes eum morti eripere. Nihilominus tamen ira Dei flat, Judæi instant et invalescunt vocibus magnis, ut crucifigatur. Ergo Pilatus protestatur: *Innocens ego sum a sanguine justis hujus.* Tanta est Dei in peccatum, etiam alienum, ira. Non igitur proprio Filio parcat? Nautæ secundum Eleazarum primo Jonam ad collum usque demiserunt, et mare quievit; sed eo recepto, iterum sævit; sic Judæi, quando eum Pilatus liberare voluit, sævierunt; cum autem puniit, quieverunt.

IV. Jonas ejectus in mare absorbetur a pisce grandi, et stetit mare. Prius tamen absque dubio per aliquod spatium cum undis maris misere luctatus, et aquis maris impletus fuit: unde ait in oratione sua: *Omnes gurgites tui et*

*fluctus tui super me transierunt.* Piscem vero immanem contra se os aperire videns præ horrore exclamavit, ut vult S. Hieronymus, et indicat in oratione Jonas, dicens: *Clamavi de tribulatione mea.* Christus in mare dolorum et omnis generis cruciatuum projectus, cum iis luctatus est, et quidem in Oliveto orans ac prævidens balenam illam, mortem, in sanguine suo quasi natam cepit et clamavit ad Patrem: *Pater, si fieri potest, transcat a me calix iste.* Dolorum quoque fluctibus oppressus ait per psalmistam: *Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me,* Ps. LXXXVII; et rursum: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam,* Ps. LXVIII. Denique moriens in cruce et videns mortis rictus super se apertos, clamavit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Tunc ira Dei a statu suo cessavit, et mare illud fervens, sanguinarium cor impiorum Judæorum sedatum est.

V. Jonas in ventre ceti triduo incolumis fuit, et tertio die resorptus ad imperium Dei Christus in limbo patrum, inter mortuos liber, et secundum animam salvus ac beatus fuit, die tertio ad imperium divinitatis suæ resuscitatus surrexit. Inde per apostolos suos peragrans mundum convertit universum, poenitentiam et remissionem ei annuntiando.

Superest ut nos poenitentiam agamus in cinere et cilicio, ut figura impleatur; alioquin Ninivitarum surgent et accusabunt nos. Gratias tibi, o celestis Jona, pro amore, quo te pro salute nostra obtulisti ad hauriendum fluctus iræ divinæ, et immisisti in os ceti. Concede nobis ut cum aliquando cetus ille, mors, os suum super nos aperiet, ne in illo pereamus, sed salvi et incolumes conservati renovemur in die resurrectionis ad gloriam.

FIGURA TERTIA PASSIONIS DOMINI, SERPENS ÆNEUS.

I. Serpentis speciem habuit, non venenum. — II. Cruciatu in cruce præsertim. — III. Summa et ænea quasi patientia armatus. — IV. Exaltatus omnia ad se traxit. — V. Exaltatus potius quam suspensus. — VI. Aspicendus fide et contritione.

THEMA.

*Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Joan. III.

Serpentem illum æneum, quem exerat Moyses in deserto, ut, quicumque admorsi a ser-

pentibus eum aspicerent, sanarentur, (Num. XXI) figuram Christi in cruce exaltati fuisse, testatur ipse Dominus, Joan. III. iis verbis: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.* Sed abhorret forsitan animus ab hac minus digna comparatione. Quomodo ergo serpens Salvator noster.

I. Serpens ille non verus, sed effictus ex ære fuit, adeoque imago tantum serpentis, et sine veneno. Serpens verus dæmonem vero ignitum significat; ab hoc admorsum fuit genus humanum plaga ignea et insanabili: a serpente igitur sanatum est, sed tali, qui non esset peccator, (licet alioqui sub habitu peccatoris) adeoque veneno peccati careret. Is est Christus, qui in similitudinem carnis peccati venit: unde et peccatum, i. e. hostia pro peccato, et maledictum a Paulo appellatur, *qui peccatum non fecit,* I. Pet. II. Ideo paulo ante mortem suam protestatus est coram Judæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ideo a Juda, Pilato, uxore ejus, latrone, centurione justus proclamatur. Si enim peccare potuisset, quomodo peccatum tollere potuisset? Judæi tamen odio excæcati, externam dumtaxat ejus speciem attendentes, tamquam serpentem abominati sunt.

II. Flexuosus erat, instar serpentum humi reptantium: ita Christus in cruce doloribus tantis cruciabatur, ut dubium non sit, præ doloris vehementia carnem ejus tenerrimam varie se inflexisse jam ad hanc, jam ad aliam partem, ut scribit S. Birgitta. Quid enim putatis esse clavem affixum pendere per tres horas, extensum instar cordæ spinis capiti infixis? Defluebat sanguis in faciem et alia membra ejus, carnem vexans, nec tamen poterat abstergere eum. Vulnera ejus cruenta ab alto sole urebantur, et quod fieri solet, a muscis et vespis utique pungebantur: neque tamen eas poterat abigere, aut contra solem se tueri.

III. Æneus fuit serpens ille. Sed quomodo talis Christus? Æneus certe: non quod sensu careret cum tenerrimæ complexionis, adeoque et sensus esset; sed quia incredibili patientia armatus, ita ut miraretur Pilatus, inde converteretur latro, denique quasi æneus reputari posset, cum ne minimum quidem impatientiæ signum aut verbum ab eo exprimi potuerit. Ergo sicut æs fortissimum est metallum, quod omnes ictus sustinet et contemnit: ita Christus patiens omnia probra et tormenta fortissime tulit ac superavit.

IV. Exaltatus ita serpens traxit undique ad se a castris Hebræorum læsos a serpentibus, ut conspectus eos sanaret. Unde bene ex ære fuit,

quia æs sonorum valde metallum est, et fustum in tubas vel campanas homines ad se convocat ac trahit. Ita etiam Christus in cruce exaltatus, et septem verba resonans traxit ad se totum mundum, prout ipse dixit Joan. XII. *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad neipsum.* Traxit elementa et solem ad sui confessionem. Traxit latronem, centurionem, et qui cum eo erant, ut ipsum confiterentur justum, Dei Filium et regem futuri sæculi; spectatores, ut percutientes pectora sua reverterentur: totum denique mundum per fidem et amorem. Quis enim Christum amore nostri pro nobis mortuum non redamet?

V. Exaltatus dicitur serpens, non suspensus quia in alta pertica elevatus, ut omnibus esset conspicuus, sicque omnibus aspicientibus mederi posset. Christus etiam non suspensus, sed exaltatus in cruce dicitur primo, quia inde velut ex altiore loco in subjectum sibi dæmonem gloriose pugnavit, eumque derisit juxta id: *Ero mors tua, o mors:* per crucem enim ascendit ad tribunal et judiciariam potestatem, ut indicavit sacerdotum concilio: *Ex hoc erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.* Sic Marcus Arethuse in Syria episcopus sub Juliano imp. in alta suspensus et melle perunctus, ut a vespis et muscis configeretur, tortores derisit, dicens eos in humili loco constitutos et terrenos esse, se vero in alto positum et sublimem, Theodor. I. III. c. VII. secundo, quia in cruce summam gloriam consecutus, adeo ut crux ex infami ligno gloriosum effectum regum tiaras ornet et humeros.

VI. Serpens ille aspicendus erat, atque ita sanabat omnes a serpentibus admorsos. Verum, quia ille corporalem dumtaxat salutem dabat, sat erat, si corporeis oculis aspiceretur. Christus vero quia salutem animæ tribuit, spiritualibus oculis aspicendus est; fide scilicet et contritione. Fidem quis non adhibeat, cum totus mundus crediderit? Charitatem quis non impendat ei, qui sic nos dilexit? Serpens ille appellatus Hebraice *Seraph* id est, *ignitus*, quia sanabat morsus ignitorum serpentum. Sit ergo et Christus in cruce exaltatus nobis serpens talis, si mordet nos suggestionem suam serpens superbiæ, sanet nos crucifixi humilitas, pendens infami de ligno inter latrones: si serpens avaritiæ, sanet ejus nuditas et paupertas: si serpens luxuriæ, sanet ejus tormenta et species deformata: si invidiæ serpens, sanet ejus charitas: si serpens gulæ, sanet ejus sitis, fel et acetum: si iræ serpens, sanet ejus patientia et mansuetudo.

Quare, o benedictæ et salutaris serpentis, quando



nostrī causa serpentis speciem induere voluisti, ut morsu pestiferi serpentis nos sanares, sana infirmitates nostras, ut hic te per fidem, et ibi a facie ad faciem videamus.

FIGURA QUARTA PASSIONIS DOMINI, SAMSON.

I. Synagogæ suum decretum pandit. — II. Attonsus quasi traditur gentilibus illudendus. — III. Velut stultus illuditur. — IV. Alligatus columnæ flagellatur. — V. Amplectitur crucis brachia et concutit orbem.

THEMA.

*Præceperunt ut vocaretur Samson, et ante eos luderet.* Judic. XVI.

Omnium catholicorum veterum et recentiorum sententia Samson luculenta Christi figura fuit, non in vita solum, sed etiam in passione, de qua nos loquemur.

Nomen Samsonis *solem* significat. Et Christus *sol justitiæ* dicitur, Malach. IV. Et ipse de se Dominus, Joan. VIII. ait: *Ego sum lux mundi.* Dalila est *mendica* vel *debilitans*; quia debilitavit robur Samsonis exprimens synagogam.

I. Samson amore Dalilæ alienigenæ captus, eam sibi despondit. Quæ viro molesta, donec expiscaretur secretum ejus, fecit eum dormire in sinu suo. Christus synagogam peccatis plenam, pauperem, moribus gentilem sibi despondit. Quæ ipsi molesta explorare ejus secretum cepit: *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Et in concilio Caiphæ: *Si tu es Christus, dic nobis.* Et concilium: *Tu ergo es Filius Dei?* Coram Caipha juridice interrogatus secretum suum pandit dicens Caiphæ: *Ego sum*: et rursum concilio: *Vos dicitis quia ego sum.*

II. Intellecto ejus secreto, totondit eum Dalila, viribusque spoliatum et a se repulsum Philisthæis tradidit ligandum et illudendum. Synagoga ubi intellexit secretum Christi, robur scilicet fortitudinis ejus stare in divinitate, hypostatice unita cum ejus humanitate, unde illum adorare et amare debuisset, totondit illum, gloriam ejus proscindendo et obscurando, ne non clamando: *Reus est mortis*; traditque eum Pilato eo fine, ut ab eo tamquam publicus malefactor, juridice etiam a Romanis damnatus infami crucis supplicio periret: sicque suum sponsum repulit a se dicens: *Non habemus regem nisi Cæsarem: tolle, tolle eum.* En quo amor Dalilæ Samsonem, quo amor hominum Christum adegit. *Reus est mortis*, dicunt, crucis scilicet infamis, cui eum destinarent. Itane auctor vitæ tot ho-

minibus, reus est mortis? Sed nimirum quia Adami et nostra peccata in se suscepit, hinc reus est.

III. Vincitum et exoculatum Philisthæi duxerunt in Gazam, ut ibi illuderetur in urbe sibi nota: quod utique innumeris modis factum. Sic et Pilatus exceptum Christum misit ad Herodem, velut Galilæum ad Galilææ regem: ubi in veste alba ab Herode et tota ejus aula velut stultus est irrisus ac delusus. Multæ et incredibiles sannæ conjectæ sunt in Samsonem, velut hostem acerrimum Philistinorum: sed nihil hæc ad sannas, quibus exhibitus Christus. Quando vero oculis suis cæcatus est? Utique quando ab Herode veste alba velut stultus, regis scilicet dignitatis candidatus, indutus et remisus est Pilato. Quod enim sunt oculi corpori, hoc est mens et ratio animæ. Judicavit ergo Herodes et traduxit eum velut amentem, cæcum, insanum.

IV. Inclusum in carcere Samsonem molæ asinariæ alligarunt, ut eam verteret, interim, ut moris erat, flagellis objurgabant, et verberibus agitarunt, velut jumentum aliquod. Christo hoc fecerunt gentiles, quando eum columnæ alligarunt, et alligatum flagellarunt. Quanta hæc injuria, ignominia, confusio, afflictio? Innocentem pronuntiatum servili supplicio, nudatum sævissime convinciunt velut nocentissimum.

V. Samson dum illuditur, amplectitur extensis valde brachiis ambas columnas, quibus nitebatur domus, concussisque illis, subruit domum, unaque secum occidit ruina domus omnes Philistinorum satrapas, ibi congregatos et convivantes. Christus extensis manibus ambo crucis amplexus est brachia, et in ea moriens concussit orbem terrarum totum, elementa quoque et cælum, ne non spectatores, ut percutientes pectora sua reverterentur: velum templi laceravit et synagogam evertit. Idololatriam quoque oppressit et gentiles, Baccho et Veneri servientes; sed feliciter, quam Samson Philisthæos, ut scilicet mortui idolis et peccatis, Christo per fidem vivere inciperent. Samson vindicavit se de inimicis; Christus autem pro iis oravit.

Gratias tibi, o divine Samson, pro immenso illo amore, quo nos miseros persecutus, pro nobis tradi in manus peccatorum et peccata nostra luere voluisti. Extende in saxea corda nostra manus tuas et concute ea ac contere! Ut percutientes pectora nostra reveriamur in cœlestem patriam nostram.

FIGURA QUINTA PASSIONIS DOMINI, BOTRUS.

I. Sanguinem fundit pretiosissimum et copiosissimum. — II. Abscissus de terra viventium. — III. Pendens inter duos latrones. — IV. Pressus in torculari vinum fudit.

THEMA.

*Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Cant. I.

Nota est legatio missa in terram promissionis a Moyse facta, Num. XIII. in qua legati ad torrentem botri absciderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri. Sancti patres in hoc botro agnoscunt figuram Christi crucifixi, quem etiam botro comparat sponsa, Cant. I. *Botrus Cypri dilectus meus mihi.*

I. Botrus hic fuit maximus, ita ut duo viri eum gestare in vecte deberent. Habuit copiosissimum liquorem, eumque rubrum, qualem uvæ omnes in Palæstina: insuper liquorem suavissimum ac potentissimum, vini scilicet Cypri seu Cretici. Unde botrus Cypri appellatur sponsa, quod ex Cyprio vites in Palæstinam delatæ putentur, secundum D. Gregorium, Bedam et alios. Vinum igitur continebat malvaticum, indicabat proinde terræ promissæ nobilitatem et fertilitatem. Christus crucifixus pretiosissimum et copiosissimum effudit sanguinem. Pretiosissimum quia sanguinem infiniti valoris: copiosissimum, quia omnem quem habuit.

II. Abscissus fuit a vite velut matre (Hebr. *orbatus* et a vicinis botris, velut fratribus in torrente botri. Christus etiam ab Isaia, c. LIII. (ubi passio ejus describitur) dicitur *abscissus de terra viventium.*

Abcissus primo, a patre, a quo in cruce derelictus; quia omni solatio destitutus. Secundo, a matre cui violenter et contra jus ablati; et sic vitis, id est, mater fuit etiam vulnerata gravissimeque læsa. Tertio, a discipulis; a quibus et *avulsus* dicitur in Qlivo ad orationem perrexisse.

Abcissus, non abruptus; quia præpropero judicio condemnatus. Culter fuit sententia illa: *Reus est mortis*; quia scilicet se Filium Dei juridice interrogatus asseruit. Unde dicunt, Sapient. II. *Gravis est nobis etiam ad videndum*; quem tamen Abraham *exultavit ut videret.* In torrente botri, id est, Jerosolymis, ubi Judæi velut impetuosus torrens falsis eum accusationibus et clamoribus obruerunt, et ad mortem abriperunt. Ideo per torrentem Cedron ad passionem introductus fuit.

III. Gestatus est in perlica a duobus viris mediis dependens. Christus in cruce, tribus incumbens mediis, cum iniquis reputatus est.

Sed cur medius? Primo, quia representabat maximum illum latronem Adamum, ibi sepultum. Ibi unus botro dorsum, alter faciem vertit. Primo, quia unus latro Christum blasphemavit, alter confessus est. Sic legati aliqui Moysi detraxerunt terræ promissæ, alii eam commendarunt. Secundo, quia populus Judæorum Christum præcedens, dorsum ei vertit et blasphemavit usque hodie: alter Christianorum frequens; faciem obvertit et honorificat usque hodie. Hic intravit terram promissam, id est, cælum; alter non intravit, mortuus in deserto.

IV. Botrus hic in crucis torculari pressus et calcatus vitam cælo digniorem effudit. Pressus autem est primo, corona spinea; secundo, crucis duritie et membrorum extensione ac corporis pondere; tertio, clavis vulnera lacerantibus; quarto, latrone blasphemante et pereunte; quinto, Judæis exprobrantibus et insultantibus; sexto, militibus pro veste ejus coram ipso ludentibus; septimo, siti ardentissima; octavo, matris et chari discipuli præsentia; nono, nuditate; decimo, affixione membrorum. Quot et quanta torcularia in uno torculari! Quam vere igitur dixit: *Torcular calcavi solus!* Peccata nostra torcular hoc aggravarunt.

Agnoscimus jam te, Domine Jesu, per botrum illum fuisse præsignatum, et gratias agimus, qui nostri causa abscindi et premi in torculari crucis voluisti. Petimus, ut pretiosum illum passionis tuæ liquorem nobis communicare, eoque nos inebriare velis, quo tandem in terram promissam pervenire valeamus.

FIGURA SEXTA PASSIONIS DOMINI, PASSER.

I. Velut passer vilis et contemptus fuit habitus. — II. Solitarius quia derelictus. — III. Cruci alligatus, hyssopo potatus. — IV. Super Adami sepulero occisus. — V. Mactatus collo retorto, seu inclinato capite. — VI. E latere fudit aquam et sanguinem.

THEMA.

*Factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Psal. CI.

Inter aves nobis notas nescimus viliores, quam sit passer, nobis familiarissimus. Non debemus tamen hanc aviculam contemnere, vel hoc uno nomine, quod typus Christi patientis sit. De ipso enim intelligunt S. Augustinus et Gregorius, quod Ps. CI. scribitur: *Factus sum sicut passer solitarius in tecto*: Christus videlicet in tecto crucis, solitarius ac derelictus. Et confirmatur ex Levit. c. XIV. ubi pro emendatione leprosi jubentur offerre duos passeris; quorum